Breza Albertus Constantinus
Palatinus Posnaniensis

Jambicki Thomae: Amphitheatrum honoris
Trabeati sublime –

AMPHITHEATRUM
HONORIS TRABEATI
SUBLIME,
Jn triplici BREZEIORUM Camporum area,
MAGNO & MERITISSIMO HONORI,
JLLUSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI,
D. ALBERTI, CONSTANTINI,
DE GORAY
BREZA,
PALATINI POSNANIENSIS,
CAPITANEI NOVODVORENSIS, &c. &c.
Dum
inter festivas acclamationes, & solennes applausus,
splendidissimo ingressus publici apparatu;
PALATINATUS SUI AUSPICIA,
POSNANIÆ felicissime ordiretur,
è Voto Lubransciamæ Palladis,
Apollinari barbito,
à M. THOMA IAMBICKI.
Jn Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore, & in Academia Posnaniensi Rhetoricæ Professore,
ERECTUM,
luciq; publicæ
CONSECRATUM.
Anno salutis 1692. Die 18. Augusti

Typis Academiæ Posnaniesis.

38. 00.

M. Casimirus Zuzodlinski, Collegio Lubr. obtulit 1692

Jn Gentilitium Insigne
JLLVSTRISSIMÆ BREZARVM PROSAPIÆ



Mitius Argiuûm celebret gens Thessala Tempe,
In quibus, innumeris floribus, arua tument.
Maior, crede mihi, BREZARVM gloria CAMPIS
Vltrò qui Lechiam fertilitate beant.
Inde Palatinæ crescunt, veniuntq; Curules,
Surgit & his omnis pulcher honoris apex.

Michaël Málczewski
Studiosus Poëseos in Academia Posnaniensi

AMPHITHEATRVM
TRABEATI HONORIS
S V B L I M E.

AVgustas Lechiæ trabeas, celsiq; Senatûs
Purpureas ex asse Togas, ostroq; rubentes
Sanguinis effusi, tot prensatasque Curules,
Et meritum virtutis Opus, quo celsior astris
Amphitheatrales inter Phariosq; labores, (ret;
BREZEIANA Domus surgit, tum nubila ter-
Pandimus, Aónio resonantis verbere chordæ.
Id iubet, en nunquam moricuræ Gloria Gentis,
Imperat & Phœbus, cuius Parnasia magno
Numine tēpla sonant; calamo dans enthea sacrū.
Tu modò, cûi, pulchræ lambit vestigia plantæ,
Atq; Palatinos aperit Posnania postes (nas.
Pulcher Honos; permitte rudes resonare Camœ-
Pompa superba virûm, cæco deperdita luxu,
Tollat in augustæ sursum fastigia molis,
Pondera terrárum, vastis conatibus Orbem,
Sumptibus immensis populos, vrgentia. Nomen
Vtq; perenne suum, crustis his fama superstes,
Æternùm victura canat, celebretq; per Orbem.

 Sed

Sed labor hic, ſtudio, tenues vaneſcit in auras,
Et fruſtra ſudat multùm, curaſq; fatigat.
Quippe juvat nihil, exeſis truncíſq; levare
Artubus, & laceri miracula quærere faſtus:
Si tantas confundit opes, damnoſa vetuſtas;
Et ſpes ſæpè cadit, ſub pondere condita tanto.
Corruit occaſu veſtigia nulla relinquens,
Tot pretijs marmor congeſtum ex rupibus altis,
Saxaq;, Romulidûm, ſecretis foſsa cavernis.
Gloria Thebarum, ſeptem liminibus alta,
Quæſo, num ſupereſt? centum jacet obruta portis.
Pridem Dædaleas Artes, tumidoſq; receſſus
Error ad interitum traxit, Cretæq; cadaver
Grande gemit, medioq; iacet vis Dædala ponto.
Parq; Rhodo fortuna Tuo par, maxima gazas
Ægyptus, Phariosque dolet perijſſe labores,
Mille columnarumq; ſtruem. Cùi inclyta bellis,
Imperij Latiale caput, Princepſq; togata
Vrbs accepta Dijs, ac unica gloria mundi;
Armorum legumq; Parens, tum ſola virorum
Semideûm pollens, Divûm Domus aurea; Roma;
In lapides, ſumptu magno, non æmula tantùm,
Sed victrix, ſed tota ſtupor, diſpendia tanti
Luxûs inquirens; lachrymas dans, viſcera mandit.
Nempe fatigatis opibus, quòd ceſsit edaci
In prædam ſenio, vis inconſulta, tumenſq;
Faſtus & æterno reſperſit ſæcula probro.
Omnibus his, credo, longe fèlicior moles,
Nec ullis agitata malis, ſtat, fixa ſuoq;
Pondere tuta manet, vim cunctam ſuſtinet Euri,
Attollitq; caput, ſublimi vertice læta;
Quam, ſuper immoto, poſuit, fundamine, virtus;
Et

Et cûi ipſe manus operamq; adjecit apertam,
Virtuti cognatus Honos, & gloria magnis
Innutrita viris, genus alto à ſanguine ducens,
Extulit & celſo pridem firmauit Olympo.
Hæcce Theatrales pompas, & Cæſaris ingens
Dictatoris Opus, portentaq; vitrea Scauri,
Totq; trophæorum Pompeij maxima vincit,
Æterno monumenta ſitu. Hæc oculoſq; laceſsit,
Splendidiore micans vultu roſeoq; nitore.
Ac velut Aſtrorum Dominus, dum crine ſoluto
Blandiùs elato pellens temone jugales,
Efflantes roſeum frenis ſpumantibus Orbem;
Irritat vultus; lucrum, ratus eſſe, videri.
Et Tibi, quem meritis, ipſi gratiſsima cælo,
Hortatrixq; operum virtus manſura per æuvm,
Æquavit ſuperis, trabeaſq; prehendere juſsit;
CONSTANTINE, decus magnũ, lux aurea Gentis
Sarmaticæ; ſurgit talis celſiſsima moles,
Et meritum virtutis opus, tum grande theatrum;
Quod ſibi formavit, meritis conſtantibus in Te
Immortalis Honos & Avitæ Gloria Gentis.
Hâc Tu, Memphiticis, pluſquã Libyciſq; columnis
Celſiùs aſſurgis; totum, quod Dædala virtus,
Artificumq; manus, vaſto molimine vires
Exercens, fingit, magnâ vi brachia tollens;
Deſpicis ex alto: tanti per culmen Honoris
Evectus, vix non ipſis vicinior aſtris
Majeſtate Tuâ: tanti ſplendoris in auge,
Digna, Tuis meritis, latè veſtigia figens,
Culmen honoratum prendis, ſellaſq; curules.
In quibus effulgens, ſublimia culmina quæuis
Artis & ingenij, virtutum culmine vincis:

Vſq;

Vſq; adeò, quamuis ſit lyncea, nec ſe
Majeſtas calami capiat, vatumq; poteſtas
Succumbat toties, nervoſis ſenſibus vrgens
Robora ſcribendi: quæ tanta reverberat alti
Luminis excelſi vis, lux tonitruq; coruſcum.
Quod, non Aſſyrio, Siculoq; potentius oſtro
Fulgurat, aut ſpargit Tyrio manus illa, ſuperbo
Murice; ſed quod, non, noſtrûm, ſine nectare dulci
Cordis & affectus teneat ſignacula aperti.
Sic ut jam venias facilis, minimeq; timendus
Muſis in calamum; Charites dulcedine mirâ
Perfundis: dum Te, haud metuant in culmine tanto
Viſere fulgentem, ac victuris pangere chartis.
Quâ ratione Tibi, is, ſeſe communicet altus
Emeritæ virtutis apex, & grande theatrum?
Totaque majeſtas trabeæ? quam jure coronat
Immortalis Honos, & clari ſanguinis in Te
Gloria, mille trahens ad poſthuma tempora laudes.
Vtq; priùs cæptæ ſurgant faſtigia molis
Iſtius: incipio. quæ vos à ſtirpe Parentum
Prima tulit tellus? Lechicis dein intulit oris.
Heroüm fœcunda Parens Alemannia, poſtquam
Cunarum, ſtirpiſque decus primumque vetuſti
Stemmatis auſpicium dederit, mox maſcula virtus
BREZARVM in tantam crevit, natalibus altis
Emeritam Patriæ, decantatamque Parentum
Progeniem; ut ſe ſe cohibere nequiuerit unquam
Sedibus in Patrijs; ſi non diffuſa per Orbem
Sarmaticum, late plantaſſet florida Tempe;
In quibus armipotens natis cunabula Mauors
Scuta virum ſtravit; vel docta Minerva virenti
Fronde, triumphales toties ornaverat axes.

Vel

Vel, quos, ſanguineo Bellona refecerat imbri;
Tot laurus prenſans, victricis præmia frontis.
At, nec fallaci mentem ſpes ſorte fefellit.
Quippe potens virûm, bellâx Germania, poſtquam
Sarmaticis, BREZAS pugnaces, intulit oris,
Tot dedit inſignes, vario diſcrimine rerum,
Et meritis titulisq; viros. quos unicus in Te
Claudis & æternæ conſignas omnia famæ, (tes,
CONSTANTINE. Cui, nunquã non fama tumen-
Ad dandos lituo ſonitus exercita buccas,
Æternùm Pæana canet, latèque per amplas,
Orbis Sarmatici plagas, Tua facta refundet.
Scilicet, ingentes primœuâ ab origine Ceras
Si repeto, calamus tremit & Parnaſsia rupes
Concutitur multùm. Nam nec per Lydia culta,
Tot voluit rutilas dives Pactolus arenas;
Aût, tot ſtagna Tagi, rudibus ſtillantia venis,
Aurea dona vomunt: quotquot Sarmatica tellus
Hâc de ſtirpe Tuâ, terris, Heröas, & Aſtris
Inſcripſit, genitos; quorum licet atra vetuſtas
Nomina ſuppreſsit, manet illorum inclyta virtus,
Obſignanda ferens, fauſto, ſua geſta, ſigillo.
Te mihi, Te Martis genuina, ERNESTE, propago,
Incorrupta Cedrus, folijſque virentibus hærens
Inſculpſit ſolido, duroque adamante reliquit:
In gremio Patriæ toties Tibi laurea creſcens.
Non mihi, centenis reſonent, ſi vocibus ora,
Multifiduſque ruat centum per pectora Phœbus,
Geſta referre queam: queîs Mars, Bellona ſuperſtes,
Immortale decus tribuit, nomenque perenne.
Iam Tibi multus Honos & Magni ſanguinis ingens,
Ex Atauis, Proauiſq; decor, ſed maximus ex Te;
B Quem

Quem, prægnans meritis, virtus Heröa patrauit.
Et quem vis animi, magnos imitata Parentum
Ausus; Marte ferox & vinci nescius armis,
Perq; cruentatam toties volutatus arenam,
Bellonæ peperit vigor: magno supparq; labori.
Quæso? nonnè Tuus CAMPUS rubuisse cruentis
Est visus palmis? quoties Thrax, Hydraq; Ponti
Cessit inadversam, traiecto flumine, ripam,
Camporum vicina tenens: hâc parte Gelonos;
Inde truces animas, rapidis torrentibus actas,
Effudit: quando Tu animosus Marte stupendo,
In Scythicas nubes, quô sævam turbo procellam
Acriùs vrgebat, lecto cum milite castris
Sæpius effusus, Getas & Pontica monstra
Alcides Lechicus pressisti robore clauæ.
At Tibi, non frustra hic sudor largusq; cruorq;
Pro templis, laribus, Patriæ dulcedine, fusus,
Abscessit. Nam, quem tot meruére triumphi,
Ad trabeas iturus Honos, sudoribus altis,
Mille priùs maduit. Sic, ut Sarmaticus Orbis
Nosceret Heroës BREZAS, per tela, per enses,
Per tot contemptas mortes, per vulnera mille,
Perq; sagum trabeas celsas, sellasq; curules
Prensare. Id bellè gnari, quòd militet omnis
Emerito fortuna sago. Vibratus in hostem,
Mucro trophæa metat. Martē vel purpura poscat.
Post hunc, magnanimus, magno supparq; Parenti
Filius, ingreditur, NICOLAVS, grande theatrum.
Heros insignis, Patri nec Marte secundus: (lem;
Quem pugnax animo sequitur. Ceu Pyrrhus Achil-
Armaq; cum lituis, & Martia classica fortem
Oblectant genium; qui pectore totus anhelat
Sangui-

Sanguineas acies, & aprici prælia campi.
Hic, needum teneros pulchrâ nudaverat armos
Prætextâ. Poſtquam guſtus, dulcorq; Paternæ
Indolis accendit mentem; mox ſpiritus ille
Bellator, Martiſq; auidus, cupit, æſtuat: utque
Lenta Corinthiaco veſtitus membra metallo;
Ante genas dulces, quàm flos iuvenilis inumbrēt,
Oraque ridenti lanugine veſtiat ætas,
Huc eat, armipotens ubi Mars adamante coruſcat;
Atq; ubi non torpet tacito vagina metallo,
Et rabidâ mucro cæde calet, ſtrictumq; minaci
Enſe, latus ſontes terrarum in funera dextras
Erudit: ac ubi diſtricti glomeratur utrinq;
Cruda ſeges ferri: fervet truce Moſchua motu,
In clades armata ſuas; huc ire parat, nec
Lentus agit greſſum, ſed pernix, fulminis inſtar,
Euolat, ulturus violati fœderis icta
Iura, vel illuſæ pacis, ſumpturus acerbum
Supplicium vindex, quod Gens periura probrosè
Moſchica promeruit, temerando pacta fidemq;.
Atq; ſubit campum vix hîc BREZEIVS Heros,
Conſcia belligeræ virtutis, in ardua præceps
Mens ruit illius, teneris, nec parcit ephebus
Artubus en miles; ſed, quâ cuneata duello
Agmina, denſantur, temeratæ Gentis, alacer
Hâc ruit, & ſtrictum chalybem rotat, atq; doloſa
Colla metit Moſchi, nec cedit totus in armis
Ex acie; donec SIGISMVNDVS victor, ovanſq;
Vinctus Apollineâ victricia tempora lauro,
Inde pedem feſtus, multa cum laude reflexit:
Atq; triumphanti, donec periuria Regi,
Pace laceſsito, lueret gens perfida Moſchæ

Ipſa

Ipſa catenatos humili ceruice Tyrannos,
Stravit, humi vultus & ſub iuga Lechica flexit.
Nec minor aſſurgit NICOLAO cenſus honoris,
Jllius Oſmani, cum, formidabile mundo
Nomen & immanis nunquam ſatiata vorago
Sanguine Chriſtiadûm, diductis faucibus ampla
Sorbens imperia & vix iam non totius Orbis
Victor palmaris, Gentes à finibus Orbis,
Armeniaſq; Vrbes, & Graiûm Cycladas, & quod
Helleſpontiacam Thetidem, Pontumq; fatigat,
Mouit contra nos; cladem, buſtumq; perenne
Et populis minitans ac Vrbibus, excidiumque
Chriſtiadûm Genti fabricans. ſed tota vorago
Regnorum, abruptæ nil profecêre Charybdes;
Mars ubi contemptor vitæ, Ductore potenti (uas
SISMVNDO Lechicas Equitum peditumq; cater-
Contra ductavit. Statim nihil arma moratus
Hic NICOLAVS adeſt, ſpecioſâ luce triumphi
Jllectus nuper: Vir, quàm viſendus in armis
Tàm poſcente manu generoſus, fortibus auſis
Inſignis, ruit hâc, quâ confertiſsimus hoſtis,
Immanes auſus & barbara tela ferebat,
Haſtato figens jaculo Beſſoſq; Getaſq;
Ordinibus ruptis donec diſiecta, fugaxque
Sæua phalanx rueret; turpi faſtuque pudendo
Concidit Oſmanus, ſoloq; pavore, ſupinis
Victori trepidum ſubmiſit collibus Hemum.
Nec Te Muſa vetat victuris pangere chartis
Immortale, cui, ſtruxit Mauortia virtus
Majeſtatis Opus, Pharijs quod mille columnis
Celſiùs aſſurget, longum durabit in æuum;
Fulmen ADAME Gothi, Suecorum mœſta ruina.

Tu

Tu mihi, Tu proprio cultu, celebraberis atq;
Illuſtres, aliâ propè jam prenſabis arenâ
Splendorum radios. rupes Parnaſsia plenis
Fontibus effundet latices: dabit ungula claras
Bellerophontis equi, vaſto cum gurgite lymphas.
Nam Tua, laurigerum virtus benè nacta phaſellũ,
Immenſum ſpatijs peragrauit ſanguinis æquor;
Nec non eximias Patriæ, devexit, in alto,
Merces, Oceano laudum, quas Patria ſemper
Cariùs obryzo ſibimet mercabitur auro.
Quippe triumphales acies & ſæua Gradiui
Claſsica, cum lituis, cinxiſti, inuictus in armis,
Tot ſertis, tot laurigeris diſtinguēs tempora vittis.
Viderat hoc ipſum terror belliq; tremendum
Fulmen & horrifici ſoboles veriſsima Martis
Quâ Liuones, quâ Boruſſos, acreſq; Suëcos.
Et quâ Maſſagetæ lucentia Regna fauillis
Nec non Tartaricos Dolopes, Tanaiſq; receſſus;
CZARNECIVS latè populatus Marte ſecundo
Sternebat. Validis cum Tu non impiger armis,
Heröæ virtutis apex, belliq; ſagiq;
Vſibus inſtructus, ſemper comitatus eundem
Et ſocius lateris, nec non pars magna laborum.
Ponè ſequax operum, iviſti; per teſqua Danorum
Deuia: pallantes Suecos, Livonaſq; fugaces
Proſternens rigidis, metuendus Sarmata contis.
Hinc, Tibi, nec mirum, quòd poſt Santocia lætis
Obuia Satrapicum dederit cum faſcibus, oſtrum,
Inq; Togã, caſtrenſe Sagum, chlamydemq; refecit
In Laticlauum, Sancti Patremq; ſenatùs,
De cataphracto habuit cõverſa cataſtropha Marte.
Nam ſibi, non tantùm poſuit, ſedemq; locavit

 In Te

In Te Mars rigidus; caſtris, inuictus & armis
Vt niteas, ſemperq; ſis clarior uſu.
Et Te Phœbus amat, ducunt commercia Tecum
Pallas & armipotens bello metuenda virago.
Nam ſi bella tonant; Martē quoq; prælia poſcunt;
Hæc Tibi fidus adeſt comes, & commilit o ſignis.
Hæc facit, ut medio fortiſsimus Hector in æſtu
Prælia conficias. Iam ſi diſcordia demens
Exoritur, trepidas inter metuenda curules,
Te tenet illa ſibi; faſtos & jura Senatûs,
Libertatis opes patrias iuſtiq; tribunal
In tabulis animi referens, folijſq; Sybillæ.
Scilicet, in pretio magno Tritonia Pallas
Conſtitit, & patriam Themidem comitatus ubiq;
Conſus ADAME, Tibi, ad tripodē Regniq; Tri-
Conſilij pectus ſapiens, dictamē ad omnes (bunal
Suppeditans operas, ſucceſsibus undiq; magnis.
At magnus virtute Parens. ſed nec minor ejus
Eſt ſoboles, quæ nunc veſtigia pulchra Parentis
Exprimit, ut quamvis fatis vergentibus ille
Concidit, ac illum letho damnaverit hora:
Parte tamen meliore ſui, ſuper alta perennis
Aſtra feret nomen, natorum in imagine vivens:
Cum duo BREZEIÆ, cariſsima pignora, Genti
An Patrio cælo, ſatiùs ſubmiſit Atlantes?
Te, NICOLAE loquor, Patrē, qui ſuppare Marte
Sectaris bello. vives! ceû iure Paternæ
Heres virtutis, decorumq; ex aſſe relictus
Poſſeſſor. Peditum quē nunc trabeata Zamoyſci
Ductorem fecit Legio, ut Mauorte calentem.
Sed nec tranſierim mutâ ſine laude Camœnâ
Germanumq; Tuum, quem nunc lectiſsima virtus
Indolis

Indolis excelſæ, iuſsit luſtrare peramplum
Liligerum regnum, Rhodani ſpumantis ad undans
Expoſitum. vos (ſi ſpirant præcordia Phœbum)
Vos ſibi flos Patriæ ſeruat, duo corcula Fratrum;
Vt ſuccreſcentis pulcherrima germina famæ
In vobis habeat, ſpebus Reſpublica plenis.
Nec vobis geminos non urget fama iugales
Queîs pretium præſtans armorum gloriâ, pulchro
Cum Mavorte dedit; felix quaternio fratrum,
VLADISLAE decus Martis. NICOLAE Gradivi
Fulmen Threicij. Tu Maxima gloria magnæ
ADALBERTE Domûs. Gẽtis ſublime IOANNES
Delicium claræ. Veſtrûm vaga gloria cornu
Facta canet, lituo, æternùm faſtiſq; Nepotum
Non feret emeriti lethæa ſilentia Martis.
Sed, quæ Muſa canet? quot quot vaſtiſsimus Orbe
Sarmatico, pandit patrius ſua iugera, Campus.
Hinc tot magnifico ſuccreſcunt culmine Cedri;
Quot Procerum procera, virûm, faſtigia ſurgunt,
Ipſaq; verticibus palmatis ſidera pulſant.
In Te, hæc maieſtas, ſe magni luminis inſtar,
Explicat ingenuè. Maiorum Maxime, Lucis
PATRICIÆ CENTRUM, Patrii flos unice CAMPI
BREZEIÆ Lux magna Domûs, Lechiciq; Senat⁹,
Gemma Palatinûm, cunctorum Nobilis Icon
CONSTANTINE: faces, quẽ lumina mille coronãt
Ex Atauis, Proauiſq; Tuis, à cardine rerum
Ducta, per omne genus meriti, belliq; ſagiq;
Si tamen ad lancem, rem veſtigaverit iſtam,
Iudicium mentis. manifeſtè noſtra Camœna
Dicere non dubitat: Magnum Maioribus eſſe
Te. Sed adhuc Maiorẽ ipſo. Quæ ſingula magnos
Efficiunt

Efficiunt, Tu cuncta tenes. Tibi munera plena,
Donauit natura penu, virtuſq; benigna,
Indolis ex genio magnæ, conclaue beatum
In Te mox poſuit ſibi. Vix ad luminis auras
Prodiſti, tenerum Tibi vix corpuſq; juventæ
Nobilius Lucina dedit. Iam Principe dignum
Spirabas genium; gratus charuſq; futurus
Olim Principibus. Non Te puerilia Matris
Blandimenta Tuæ, potuerunt frangere: nec, quæ
Oblectant pueros, quibus & pueritia creſcit
Deliciæ; ſed jam tum molli ſpicula dextrâ (traq;
Vix tolerante procul jacere; aut caua tympana u-
Sollicitare manu; vel quidquid muta ſupellex
Palladis, aut quidquid chartis vetus allinit ætas,
Id ſibi porrigere optabas. tum viribus vltrò
Ipſe Quirinali toties præcinctus amictu,
Sublimes paruus ſcandebas ſæpè curules.
Aſt ubi firmauit ſe ſe jam grandior ætas,
Vtq; ſui compos infantem excuſsit & ora
Soluere poſſe datum eſt; ſtatim Tibi prima iuventæ
Tempora Palladio fluxerunt culta ſenatu,
Ac altum ſapuêre decus, teneriſq; micabat
Igniculis, tantus maturo lumine ſplendor.
Iam tunc exiguo grandis de pectore virtus
Eminuit, præclara ſui jam ſigna patebant
Luminis & morum ſplendebat compta venuſtas.
Canicies animi, rudibus perfectior annis,
Pondera tollebat vaſtæ ſublimia mentis.
Poſt ubi Pieriæ Phœbeia caſtra Mineruæ,
Victor & emeritus miles, centumq; coronis
Puluere Olympiaco lectis, ornatus Athleta
Dum tener egrederis, Muſarumq; atria linquis.
Non

Non Tibi deſidias molles, non marcida luxu
Otia, nec ſomnos animus ſublimis inertes
Permiſit, patrias intra traducere ſedes:
Ni loca, ni terras, alio ſub ſole calentes
Luſtrares, fors illuſtrares climata paſſu;
Doctrinamq; Ducem, fidam comitemq; bonorum
Temperiem morum raperes; quâ plenus, ubiq;
Attonitos oculos rapuiſti Victor anhelos.
Atq; nec in caſſum cecidit labor. Vtq; Penates
Liquiſti patrios. Louanî climate poſtquam
Conſtiteris: ſtudijs, cultum geniumque ſeveris
Excolis aſsiduò: Divas complexus & illas
Altera, quæ ſanctum Iuriſprudentia, caſtum,
Altera, quæ Civilis- habet - ſapientia, Nomen.
Sed nec diſplicuit celebris, Princepſq; Sophorū
Doctus Ariſtoteles; cuius Tibi flamma calores
Vivaces auxit, fecitq; caleſcere Muſas
Corde Tuo. Sic, ut toties ſtupuiſſe Camœnas
Contigerit, crebrò obtutus vertiſſe ſtupore
Attonitos in Te. Cum Tu certamine docto,
Victor magnanimus palmam, nomenuè tuliſti.
Jnde peregrino, per tot, pede, regna vehebas
Ingenij cultum, pulchros ex ordine mores.
Gallia crine ferox, ſtudijſq; aſperrima belli;
Jllico, lucidiore die floreſcere ſenſit
Lilia grata ſatis, pulchro candore decora:
Cum, decus egregium ſuadæ, labijq; diſerti,
Troianis, Tua, paſta Roſis, vox, ore ſereno
Explicuit, pulchroſq; ſales, mentiſq; benignæ
Temperiem dedit. haud dubiò Sorbona diſerta
Ore loqui voluiſſe Tuo jam Numina terris
Credidit, & cupidâ ſermonis mella politi

Sorbuit aure suâ. Iam verò murmure rauco
Ipse suum præceps fluuius spreviſſe cubile,
Teq; sequi, visus; moresq; stupere Sequana
Gaudebat: tacitis, querulis nunc fluctibus altùm
Ingeminans; quòd Te frueretur tempore parvo.
Parva loquor. Ligures Venetosq; erectior amnes
Postquam contigeras; frondentibus humida ripis,
Hospitis in plausum tanti, non absq; triumpho,
Colla levant, pulcher Ticinus & Addua visu
Cærulus & velox Athesis, tardusq; meatu
Mincius, inq; novem consurgens ora Timauvs.
Ipse ferox undis, Venetis desponsus habenis
Adria, submittens cicuratâ fronte procellas,
Iam Tua lambebat leni vestigia fluctu.
Ac, ut, Apennini montana cacumina saxi
Proximus ascensu superas; mox prona, supinos
En Tibi substernunt gibbos. Latiamq; per oram
Transitus, ut pateat, liber, pendentia saxa
Submittunt, gressuq; Tuo; ceû sole tepente,
Terga, pruinosis niuibus frigentia, gaudent
Dissoluiſſe. Alijs per tot discrimina rerum
Tenditur in Latium. Tibi verò semper ubiq;
Vidimus extèndi campos, subsidere valles,
Fronde tegi sylvas, lapidosos surgere montes.
Tandem Romuleas peteres cum proximus, arces,
Protinus Hesperidum vitreus regnator aquarum,
Intumuit plausu; sinuoso vortice lymphas
Contorquens subitò; blandos, in Te Hospite, vul-
Pronus adoravit. Capitolia celsa Quirini (tus
Submisêre caput. Te plausibus undiq; mistis
Romulidûm dulces genij, celsiq; penates
Excepêre, ceu Decios Fabiosq; per Vrbem
Pro-

Proveherent faſtu victrici. Lætior ibat
Omnibus illa dies, faſtos numerata per omnes;
QuâTu CONSTANTINE decus, lux,gloria Gẽtis,
Indole magnanimâ pariter, gratoq; decorus
Ætatis roſeæ vultu, flos ſanguinis alti,
Ibas per populos, gentes, noſcendus per omnes
Vrbes: grata, Tui placidi, ſpectacula vultûs
Cunctis diſpenſans. Quæſo quis ſingula fando
Ad numerosrevocet? Quibus erga Te oppida paſ-
Ardebant ſtudijs. quiuis Te poſcere Civẽ (ſim
Gaudebat, pandenſq; Tibi ſignacula aperti
Cordis & affectûs. Sed amor ſtimulauit auitus
Natalis Patriæ; cuius dulcedine mirâ
Jllectus pridem, longo poſt tempore fines
Jllius optabas peregrinus viſere tandem.
Nec mora. Nam poſtquam luſtrâſti longiùs oras,
Totq; Vrbes, cultoſq; lares; Neptunia regna
Calcaſti, *Patriæ* rurſus; velut imbre madentes
Poſt Hyadas, denſiſq; obductam nubibus æthram
Emicat, & ſudum retegit ſol igneus Orbem:
Exoptatus ades, felix & proſper Vlyſſes,
Non ullis actus fatis, nec blanda perîcla
Sirenum paſſus: quæ ſemper voce canorâ,
Dulce malum pelago nautis & fata minantur.
Quippe Tibi virtus, tenero ſub pectore,ſedit
Et pudor & docti legem ſibi dicere mores.
Tu his comitatus & his patrium deductus in Orbẽ,
Non alibi; Magni præterquam Regis in aula,
Prætextam poſuiſſe Tuam, meritæq; decorem
Debebas ſumpſiſſe togæ. Quam dum Tibi dextra
Porrigit invicti CASIMIRI faſcibus altis
Digna virente manus Cedro: quâ iuribus æquis
Hinc

Hinc ferro Mavors: illinc Clementia ſceptro
Gratiaq; inſignis, Danäes delapſa per imbrem,
Orbi Sarmatico. Nam virtus fortis Achillëi
Non fugerat Scyrum; periuræ ad mœnia Troiæ
Olim qualis erat terror, fulmenq; futurus
Dardanidûm Æacides: ſtatim Lycomedis in aula
Talem ſe monſtrat. ſublimis ab indole virtus
Emicat eximiâ. Qualem Te conſpicit Orbis
Nunc Lechicus; talem pridem vidiſſe licebat
CONSTANTINE Virū; cum tāta palatia Regis,
Judiciumq; Tuum, rerumq; Peritia ſolers
Et pudor & tenero probitas maturior ævo,
Summas inter opes recreabat, amicaq; corda
Herculeo veluti ſibimet nectendo monili.
Viderat, id toties Princeps CASIMIRVS apertè,
Cum dedit ingentis commiſſa negotia curæ
Pectoris electi penetralibus, inq; probato
Condidit illa ſinu. Nam voto Principis in Te
Reſpondit facies, animi cultiſsima tota,
Intus habens Argos, & lumina mille ſub ictu
Mentis, & ad quoduis momentū maxima promēs
Rebus in abſtruſis, maturi pondera ſenſûs.
Hîc Tibi regales inter faſceſq; thronoſque
Culminis in ſummo geſtis robuſta, diuque
Succreuit iuſtis meritis exercita virtus,
Vertice mox viſenda ſuo, Patriæq; theatro,
Atq; datura ſuæ magnæ faſtigia mentis.
Et, nec inexpertum, faceret Te nobilis ætas,
Martis & armiſonæ Bellonæ; deſidis aulæ
Segnitiem linquis, ſecuturus ſigna Gradivi,
Siue petat Parthos, ſeu cuſpide turbet Hydaſpen
Balthicus interea Mauors in prælia poſtquam
Incre-

Increpuit cornu, Lechis feralia bu**a
Horrificis cantando tubis. Tv Marte, togâq;
Te cupiens monstrare Virũ, mox grandibus ausis
Ivisti lateris comes & commilito dexter
CZARNECII; cuius vexit tot pulchra trophæa
Argo triumphalis, victurâ laude perennis.
Hic Tibi bellandi stimulus, tum proxima cassis,
Heros magnanimus fuit. hoc victore metebas
Tot laurus, palmas, hostis ceruice relatas,
Atq; Tuis CAMPIS felici Marte subactas.
Parthica post rabies, quæ sveuit vivere raptos
Atq; Cosacorum tristissima scena doloris
Mox Tibi maiores, fuso cum sanguine laurus,
Emerito censu tulit; & sublime theatrum
Virtutum, laudisq; dedit: cum totus in armis,
Mille modis tuleris, per tot discrimina belli
Principis in facie CASIMIRI, serta, coronas.
Inde redux castris, animum, cultissima fandi
Mens Tibi, quam dederat, confestim promis in usũ
Publica dum Patriæ facies, & causa requirit.
Vidimus, ô quoties! cum Tu responsa sagacis
Consilij pandens, quæuis monumenta theatri
Roscius intrâsti; sic, ut jurâsse Togatos,
Contigit in suadæ flectentis verba Quirites.
Quid? non, præstiterit Latijs illime fluentis
Ingenij linguæq; decus? dulcissimus oris
Nectareo torrente latex? quo leniter altum
Influis in pectus, captiuans mille catenis
Gallicus Alcides, dulci cum flumine flammam
Ore ferens, placidè quâ cunctis pectus adurges.
At non sola Tibi, facundo germine vincit
Gratia mista rosis, animos, & pectora nexu

Mancipat ingenito; dum ſuauis mentibus inſtas.
Te grauitas immota virum, candorq; ſereno
Ore nitens, & apertus amor ſolidare videtur;
Et vox affatu facilis, frontiſq; benignæ
Certa fides, blandi verecunda modeſtia vultûs
Commendat. *Puro* qualis nitor æthere fulget;
Gemmaq; quæ fuluo radians intexitur auro:
Aut ebur, aut Pario marmor de monte reciſum.
Non rigor in facie, toruiq; injuria faſtûs,
Nulla ſupercilij nubes premit ora, retorquet
Linguaq; reddendæ officium cunctata ſalutis.
Adde animos flexu duros, quos frangere noſti
Mitibus arbitrjis, & acuto robore magni
Conſilij, quo jam ſolus ſublimior ante
Effulges omnes. Tu animos componere dictis
Atq; faces ſæuas odiorum extingere felix,
Litibus immenſis, deſperatiſq; ſepultos
Caſibus, & toto diſtantes jungere cælo
Nocte dieq; patens. Verum ſi carmen in iſtud
Hos ego nobilium cumulos convoluere rerum
Contendam; centena ſatis non lingua diſerti
Oris ſufficiat; melius Tibi ſubdita, tantum
Fama decus tollat, Regniq; ſenacula pandant.
Hîc ubi Nobilium ſenſus, & publica Regum
Orbis in aſpectu Lechici vox convenit: hîc Tu
Patritium columen fueras & regula legum,
Expediens votis, toties cum jure vetandi
Nuncius, & Tribuum *Præſes*, prægrandia rerum
Pondera ſuſtentans; perplexa negotia ſoluens.
Hinc Tibi ſacra Themis, librat, quæ pondere lancē
Hîc ubi juridicum Regni, ſummumq; Tribunal
Legibus erexit Patrijs, prænobile munus
Con-

Contulit; inq; Tuo toties jam pectore firmum
Defixit solium: quando Te Præside, totum,
Quidquid legifero profecit Sparta Lycurgo,
Sæpius explicuit, rerum sublimia tangens.
Bellica quid memorem? ruptæq; negotia pacis
Et perplexa domi Ciuilis munera curæ,
Ardua quæ fuerant. Te consultore redacta
In solidum tandem. Toties cuî sæpè relata
In tabulas, commissa datum est æraria Regni
Noscere, Quæstorumq; manus censere fideles
Arbitrio Patriæ: quod munus sine decoro
Gessisti Victor, successibus undiq; magnis.
Hinc Tibi pro tantis meritis, sudoribus altis,
Jmprimis, super arce tholi, collata potestas (Orbis
NOVODVORENSIS; quæ, quidquid Lechicus
Et sublimè tenet; summa quid seruat in auge
Iam Tibi, virtutiq; Tuæ, meritisq;, paratum
Ominis auspicium tulerat, quòd, semper idipsū
Mox habiturus eras Nec spem fortuna fefellit
Nam Tibi mox trabeatus apex, gemmisq; coruscâs
Augustale dedit, majestatemq; Senatùs
Attulit excelsam, POSNÆ dum se Tibi supplex
CASTELLANVS honos tulit ultrò, Teq; rogavit
Vt Trabeas eius laticlauasq; Curules
Cepisses, queis Tu dum sublimaris in altum,
Non Te luminibus nostris, sic eripis, ut Te
Cernere non valeant. nec nos sic spernis ab alto;
Vt iam secernas: vt vel commercia nostra
Turgidus effugias, aût ut conspectus Olympum,
Oblitusq; Tui, nostris succurrere rebus
Nolis, vel renuas Patriæ fulcire ruinas
Aût quoq; jam detrectet eam obsequiosa voluntas

Eloquio

Eloquio firmare Tuo. Nam culmine summo
Cernimus Te talem, qualem conspeximus ante.
Nunc Tibi par pietas, eademq; modestia vultûs
Idem amor, isq; decor morum. Natura nec ulli
Mitius ingenium dederit, (quin talis inesset
Lenis, & affatu bonus, & patientior æqui)
Quàm Tibi; dum prendis trabeā, sellasq; curules
Scandis *Posnaniæ*, majestatemq; Senatûs
Lucraris meritis. minimum nec, celsus in alto
Turgidus alloqueris fastu, nec prospera flatus
Attollunt animos: quin ipsa superbia longè
Effugit, ut vitium rebus solenne secundis,
Virtutumq; ingrata comes. Te tangere pasśim,
Affariq; licet, nulla formidine cinctum.
Nempe satelles Honor, non hâc ratione fidelem
Se Tibi conjunxit comitem: tumefactus ut altum
Culmen honoratum caperes, sed maius ut inde
Auxilium ferres lapsis, possesq; ruentes,
Tutariq; reos: totus penetralibus imis
Pronius ex alto, cunctorum mite leuamen,
Influeres, traheresq; adamātina pectora post Te.
Viderat antè parem Tibi, felix Sparta Lycurgum
Res Pandioniæ talem coluēre Solonem.
Nam quæ seditio? quæ nam dissensio vulgi?
Jndocilis tolerare togam, pacemq; perosa,
Te viso, non flexa cadat? quæ dissona gentis
Barbaries? media quam non reverentia flectat,
Eloquiumq; Tuum; vel gratia plena pudoris,
Formosusq; rigor? Latijs cui ora fluentis
Tullius effinxit, cûi mollia labra coronat
Atticus ille nitor, facundo germine vernans.
Et, quis Pierios dulci testudine cantus

Tyrrhe-

Tyrrhenũ non ſpernat epos? vel liquida ſtagna
(Jn quibus imbellis moribundo gutture cygnus
Funera ſolatur) poſtquam Permeſsidos undis
Concinuit felix Helicon, fluxitq; Aganippe
Largiùs & docti riſerunt floribus amnes,
Hoc in Te ſublime decus, (mirabile dictu!)
Audijt; atq; fuit toties ſuſpenſus ab ore,
Orbis Sarmatici breuis, & non longa voluptas,
Sed vaſtus gemitus, longi catapulta doloris,
Rex MICHAEL: quoties magni reſpōſa Senatûs
Eloquio crevêre Tuo: nec Lechica cultu
Majeſtas meminit ſe ſe maiore locutam.
Vnde nec id mirum, quòd vis præcelſa, throniq;
Mens Divina ſui, ſenſu decreuerat alto,
Nomen ut auguſtum, nec non Oracula Magni
Principis, haûd alius Cyneas loqueretur ab ore,
Aût pondus, Lechici, Alcides portaret Atlantis;
Quam Tu: quem decorat victrix opulētia linguæ,
Aût etiam, quem vel majeſtas maxima Regum
Audiat & videat Cyneam. Legatio quando,
Suetica Guſtavi, genio committitur alto,
Virtutiq; Tuæ; quâ ſpectatiſsimus in Te
Lechiadûm radiauit apex, animuſq; virilis
Majeſtate Tuâ micuit, cum Gotthica belli
Fulmina frenaſti; LECHICI faſtigia ſceptri
Inconcuſſa loquens, & frangi neſcia ferro
Oſtendens: quanquam repetito tacta fuêre
Ictu bellorum. Sic ut trùx Suecia poſthac
Non fuerit mirata, ſuum inſuperabile robur
Succubuiſſe (dolor!) Lechicis armis; ubi iam Te
Magnanimum, fortemq; ſui, conſpexit apertè
Victorem; magno rationum pondere, ſenſus

 Ipſius

Ipſius ADOLPHI moderantis ſcepra, coronas,
Et convellentem, & ſuavi mox ore trahentem
In rem Sarmatiæ. Sed non minor inq; Ducales
Mitras; eſt conceſſa Tibi vis, plena poteſtas,
Quàm in faſces Regum: quos, Tu mirabile fatu!
Vt novus Alcides, pendentibus ore catenis,
Traxiſti facilè. Quando Electoris, in Orbe
Boruſsi, Martis, gratæq; negotia pacis,
Maturâ virtute librans; perſuaſeris id, quod
Extorquere mucro, vel Martia tela nequîſſent.
Quis fuit, ô quæſo! Gentem, populoſq; feroces
Pruſſos, qui potuit, pariter cum Gente Polona,
Armare in Suecos? nec detrectare ſub vna
Ire, Ducis noſtri claua; tolerare labores
Imperiumq; pati. Si non tua compta diſerti
Hæc grauitas oris, vigilans prudentia rerum;
Quam, nihil, inconſultus, agis, nec ſuſcipis unquã.
O quàm prodigioſa dies! quâ Pruſſus alacris,
Gens inimica Lechis, contra quæ ſteterat olim,
Signa Ducis Lechici mutuo comitatus amore,
Ibat; nullo tunc cultu diverſior vnquam,
Sed par, ſed ſimilis, Lechici pro parte triumphi
Inſudans; inuicta gerens præcordia Martis,
Et validos niſus, quibus vt mucrone cruento
Viſcera Suecorum transfigeret omnia in ictu.
Cætera non memoro. quibus en Tua celſior aſtris
Virtus conſurgit, majeſtatemq; meretur,
Et juſtæ pretium laudis. Quis ſuppare plectro
Flamine Pierio vates hæc doctus adæquet?
Ipſe coronatus, Lechiæ ſors unica, Mauors,
Sarmatici Cynoſura poli, lux maxima Sceptri
REX HEROS, cûi Palma virens Oriente ſubacto
Orditur

Orditur palmare iubar, nec occidet unquam:
Ægeas hyemes, Hellespontumq; minacem,
Et Geticas frenare nives, Besiq; furorem
Sistere cui licuit mihi quæ dicenda supersunt,
Hæc de Te augusto, gemmisq; nitente loquatur
Ore, Tibi cuius pridem iam Regia corda
Expanso patuêre sinu; ut videaris in illis
Jmmortalis, apud tardos, serosq; nepotes.
Id Tua promeruit pietas, studiumq; fidele,
Ac amor immensus,quo Regia corda triumphas,
Jllis respondens. pariter solioq; thronoq;. (ret?
Nam Tibi, quid quæso crebriùs præ mēte cohæ-
Et sapit in lingua? quam vox gratiosa IOANNIS
Augusti REGIS, cujus victricibus armis,
AVSTRIA Bistonij compresſit castra Gradivi.
Hunc Tibi narrare est quædam festiua voluptas.
Hoc, publicis quàm priuatis conuentibus altum
Exhilaras animum. gaudes & laudibus eius
Instaurare dapes, festis conuiuia mensis
Nomine complere. & nusquam Te lautiùs illuc
Posse putas epulari; quàm dum Principis huius
Præsidet Augustum Nomen, celebratur ibidem.
Scilicet hunc animo, quovis gestare locorum
Optas præsentem, coram Te sistere pasſim:
Vt non effigiem solam. sed prototyponq;
Vivum mente geras, ac omnibus illud ubiq;
Pectoribus figas, nec non adamante perenni
Consignes, tanquam gemmis insigne monile,
Talibus, ac tantis meritis, virtutibus altis,
Cum fulges Patriæ. Mox Te Sapientia cordis
Sarmatiæq; Pater, majestas tota IOANNES,
Emeritæ judex mentis, praxisq; suprema,
Arbitrio

Arbitrio ſummo, nec non & Principis ore
Ecce PALATINVM legit, & promulgat in Orbe
Sarmatico CALISSENSEM. majora daturus
Mox Tibi, virtutiq; Tuæ, cumulare paratus
Præmia, per quæ Tu, ſublimia culmina ſcandas.
Nec dilatus honos. Nam vix OPALENIA Nauis
Faſcibus auguſtis, & avitæ laudis honore
Feſſa triumphali, ſtellantia flumina roſtris
Attigit; & vigiles Themidis Poſnenſis habenas
Emerito pridem, decantatoq; per Orbem
LESCINIO Capiti commiſit. Protinus altas
POSNA, Palatinas, ſupplex Tibi lapſa Curules
Obtulit, & trabeæ reducis, non abſq; triumpho,
Auguſtale dedit. Cuius faſtigia felix
Scande triumphali curru. Nam gloria ſumma
Te ſequitur meritū. famulas Tibi porrigit ulnas
Celſus honos. gaudetq; Tuis ſubmittere plantis
Ceruicem fortuna ſuam, non inſcia; quòd Te
Ambiat, ex meritis longè præeuntibus, & quòd
Culmine Te ſummo viſendum ponat in Orbe
Summus honoris apex. Ecquid jam vota moraris
Virtutemq; Tuam? Iam ſe Tibi tota ſerenat
Nobilium facies; Proceres & brachia tollunt,
Complexuſq; Tibi dulces, tot corda, tot ora
Effuſi pandunt. Academi turba Camœnis
Dedita: dum fabricat trabeati culminis iſtam
Amphitheatralem molem; ſe prona ſupinat
Exoptatq; Tibi, ut cedris viuacibus iſte
Duret honos, illuſtris honos, manſurus in ævum.
Quem Tibi bellatrix, victrix, auguſta IOANNIS
Gratia decrevit. durando ſecula vincat.

